Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3111
Quelle:
Copyright:

22. Jan. *Vincencium martirem*, 3. Aug. *Inuencionem ſancti ſtephani*, 23. Nov. *Clementem papam* miniatos habet. In litaniis *Ferreolus* et *Ferrucius* invocantur, unde ſuperior de *Biſuntio*, ſeu *Veſuntione* conjectura roboratur.

DCCCLXXV.

954 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 150. 4. maj. exaratus in membrana tota atra, charactere textus argenteo, titulorum vero aureo, ſplendidiſſimum Artis graphicae ſimul et pictoriae Monumentum, marginibus paſſim cum ſacrarum, et profanarum figurarum, quas inter monachi habitu Lupum Corti concionantem, et Simium Simio barbam radentem videas, tum elegantiſſimo Florum ornatu divitibus, praeterea Iconibus XV. grandibus myſteria patientis Chriſti potiſſimum referentibus conſpicuus, in quibus e fundo atro aureae lucis ope veluti protuberantibus Pictoris ars mire ſe commendat, *Horarium* eſt, cujus Κτισιν Frons loquitur Ducatus *Mediolanenſis* exhibens Infignia, quibus adjectum: GZ. MA. DX. MLI. QNTVS. nempe: *Galeazius Maria* (Sfortia) *Dux Mediolani Quintus*. Circumſiſtunt Emblemata tria, quorum unum Carduos ſativos ſeu Cynaras tres florentes oſtentans germanice, quod mirere, inſcribitur: *Mit Zait*. Bis inſuper adpictus eſt fuſtis altero extremo inclinato flammans, altero elevato antlias binas ſuſpenſas gerens, Signum fortaſſe Pictoris, quod tamen apud *Chriſtium* non reperi. Jam, quae *Codice* continentur, haec ſunt: *Calendarium*, in quo aurei 6. Febr. *Amandus ep.* 14. Jun. *Baſilius ep. et conf.* 25. Jun. *Eligius ep.* 3. Jul. *Translacio Thome ap.* 1. Sept. *Egidius abbas et conf.* 1. Oct. *Remigius et bauo.* 9. Oct. *Dionyſius*, non martyr, ſed *ep. et conf.* 1. Dec. *Translacio Sancti eligij.* 14. Dec. *Nychaſius ep. et mart.* Unde opus in *Belgio* pro *Italia* curatum videtur. Sequuntur Horae de Cruce, de S. Spiritu, Miſſa de B. V. M. IV. e totidem Evangeliſtis Evangelia, quibus omnium quatuor in uno conclavi ſcribendo occupatorum Icon jucunda praefigitur, Horae B. V. M. etiam pro Adventu, Pſalmi *de Poenitentia* cum Litaniis, et Vigiliae Mortuorum. Codicem holoſerico purpureo tectum, phalerisque argenteis deauratis aſperum Larario *Auſtriaco* non dubitem illatum fuiſſe inter Κειμηλια *Blancae Mariae Sfortiae Galeatii* ſupradicti jam a. 1476. a Conjuratis interemti filiae, quam *Maximilianus* I. a. 1494. ſecundam uxorem duxit.

DCCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 981
XV. Folior. 154. 4. luculente et eleganter ſcriptus, titulis aureis, literis initiorum deauratis, picturatis, marginibus multis ſingulari ornatu figurarum partim e ſacra hiſtoria, partim e Veterum numis, gemmisque ſcalptis infigni peni-